

sorum episcoporum praedictus Eutyches libellos obtulit ad-
 sum religiosissimum Flavianum accusans quae illi placuerunt . 45
 Flavianus autem religiosissimus postulavit me intromitti debere.
 quod ubi intellectum est necessariam meam praesentiam esse
 causae propositae, vestra sanctitas interlocuta est non semel
 non bis non ter intrare me oportere consessum . sed religiosissi-
 mus Dioscorus Alexandrinae civitatis episcopus, universa secun- 50
 dum libidinem Eutychis agens, omnia conterens et confundens
 simul fidem, canones, conversationem ipsam, prohibuit me in-
 trare, habens satellites huius iniquitatis missos a religiosissimis
 imperatoribus propter diligentiam synodi spectabiles viros.
 qui et me custodiri fecerunt in ecclesia, in qua synodus habe- 55
 batur, multitudinem militarem habentes: qui et intus gladiis
 evaginati in synodo steterunt, interminantes mortem secundum
 nutum prudentissimi Dioscori his qui religiose sentiebant . et
 inperitam multitudinem laicorum introducens praedictus Dios-
 corus in synodo contumeliis appetere religiosissimos episcopos 60
 permisit: quibusdam et in mare prociendis religiosissimis epi-
 scopis interminatus est, si quisquam contravenire voluisset
 decretis impiissimis suis . nec solum hoc, sed et me iusso
 a vestra sede intromitti constituto ante fores cognitionis, intrare
 non permisit . considerate itaque ex his, aequissimi et iustissimi 65
 patres, ea quae contra me gesta sunt . nam qui in synodo intro-
 mitti non permissus est neque responsum dare, sed magis custo-
 diri, et prohibitum intrare quod [libet iudicat, non] orthodoxum,
 Nestorium, non recte docentem ecclesias: quem custodientem
 fidem trecentorum decem et octo patrum, quem sequentem vesti- 70
 gia sanctae et universae synodus, quae facta est nuper in Ephe-
 sena civitate, et omnibus praeceptis sanctae recordationis Cyrilli
 episcopi optemperantem, quem in nulla re notatum a vestra sanc-
 titate, causa propositae quaestionis a me adversum Eutychen
 damnatum obiecit tumultui et transfuga me in sanctam ecclesiam 75
 constituto fecit includi in loco abstruso et obscuro, praecipiens
 per militarem multitudinem custodiri me et neminem ad me
 umquam mitti debere in solacium religiosorum virorum qui pas-
 sionem meam consolari voluerunt propter futuram retributio-
 nem. quoniam igitur dura et iniqua praeter divinos canones 80
 pertuli a Dioscoro et ab aliis religiosis episcopis, qui timore et
 necessitate compulsi voluntati eius optemperaverunt et in con-
 demnatione mea consenserunt (sicut sciunt qui a vestra sanc-
 titate missi sunt in loco vestrae beatitudinis religiosissimi viri,
 quibus et libellos optuli appellationis meae, in quibus vestrae 85
 sedis cognitionem poposci), deprecor vestram beatitudinem et

44 eutyches] *Amelli*: eutychin. 49 consessum] *Amelli*: consensum.
 51 eutyches. 55 in qua] *Amelli*: iniqua. 59 inperitam] *Amelli*: inperita.
 63 iussu] iussu. 68 *die Lücke evident, die Ergänzung unsicher.* 75 trans-
 fugam me. 76 obstruso. 78 in fehlt. 79 voluerint geändert in
 voluerunt. 80 propter *wie es scheint geändert in preter.*